dinariam non valet concluſio. Nam in extraordinariâ pœnitentiâ requiritur ſatiſfactio, quatenus quidem illa vox refertur ad homines, & nominatim ad eccleſiam. Oportet enim ut peccator ſatisfaciat pœnæ eccleſiaſticę, pro criminis qualitate inditæ. Quo ſenſu etiam accipiendum eſt, quod apud veteres legitur de indulgentiis. Non enim hic eſt ſenſus, quòd peccator indulgentiam apud Deum his teſtimoniis & effectis pœnitentiæ mereatur; ſed quòd non rarò de pœnâ ad probationem pœnitentiæ impoſitâ, ab eccleſiâ aliquid remittatur peccatori. Itaque

A ſatisfactione eccleſiaſticâ ad ſatisfactionem quæ fit coram Deo nõ valet conſequentia.

Similiter

Ab indulgentiâ eccleſiaſticâ ad indulgentiam divinam non procedit argumentatio.

V. *A ſignis pœnitentiæ ad ſignatum nõ eſt neceſſaria argumentatio.* Ejuſmodi ſigna ſunt jejunia, fletus, cilicia, veſtium ſciſſura, & ſimiles ritus, quibus etiam hypocritæ defungi poſſunt.

VI. *A confeſſione in genere ad confeſſionem auricularẽ impertinens eſt cõcluſio.* Etſi enim confeſſio, quæ fit coram Deo, vel coram hominibus, ſæpenumero eſt neceſſaria *Pſal.* 32. *Neh.* 9. tamẽ inde non ſequit', confeſſionem auricularem eſſe neceſſariam.